



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Lvcæ Pinelli Societatis Iesv, Theologi, Exercitia  
Spiritualia Qvadragesima, De Sacrosancto Eucharistiæ  
Sacramento**

**Pinelli, Luca**

**Coloniae, 1608**

Exercitium XVIII. Salutiferum hoc Sacramentum etiam corporis sanitatem  
conferre.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59691)

## EXERCITIVM XVIII.

*Salutiferum hoc Sacramentum etiam  
corporis sanitatem con-  
ferre.*

## PUNCTA MEDITATIONIS.

1. **C**ONTEMPLARE anima mea,  
I E S V M Christum Servatorem no-  
strum esse Dominum vitæ ad mortis: sani-  
tatis & infirmitatis: quibus non secus in-  
perat, atque Rex subditis & famulis su-  
is.
2. **C**ONSIDERA mulierem illam E-  
uangelicam, solo vestium Christi cōactu,  
à fluxu sanguinis, quo duodecim annis  
miserè tortafuerat, curatam fuisse. Si ergo  
vestimenta Chr sti sanitatem conferre po-  
tuerunt, Sacramentum hoc in quo corpus,  
anima, & diuinitas Christi reuera conti-  
netur, eandem efficaciam non obtine-  
bit?
3. **E**X P E N D E tecum, mortuum cor-  
pus Helisæi, solo alterius defuncti homi-  
nis attactu, eidem homini vitam reddidit-  
se, atque illum, vti sacræ literæ confirmât,  
à mortuis ad vitam reuocasse; Si corpus  
Helisæi exanime talem habuit virtutem,  
quis

quis neget Christi corpus viuum & gloriosum, non multò maiori virtute præditum esse?

4. CONSIDERA, per orationes ad sanctissimum hoc sacramentum fufas, multos ab ægitudinibus suis liberatos fuisse, sicuti legimus de S. Gregorio Nazianzeno, & Gorgonia eius Sorore: quorum ille à morbo incurabili, hæc à grauissimis quibus laborabat infirmitatibus exempta fuit.

5. REVOLE tecum, quia in sacrosancta hac Hostia Christus, infinitæ bonitatis ac potentæ Medicus, reuerà præsens est, certò credendum esse, illum & velle & posse vniuscuiusque infirmitatibus mederi; modò ex parte infirmi adsit debita dispositio, & salutis animæ ipsius id expediens sit.

COLLOQVIUM.

**N**Egari non potest, Domine, augustissimi huius Sacramenti, ingentem & obstupendam esse virtutem, cum effectus ipsius manifesti sint in cælo & in terra. Anima mea, vide quanta sit Seruatoris nostri, erga nos sollicitudo. De cælis in terram delapsus, veluti cælestis Medicus, illuminauit cæcos, linguas mutorum soluit, auditū  
surdis

surdis reformavit, mortuos ad vitam re-  
 duxit, & omnia infirmitatum genera solo  
 verbo depulit: ad cælos autem reuersurus,  
 ut & nos tantorum beneficiorum partici-  
 pes redderemur, semetipsum in Venerabi-  
 li Sacramento nobis reliquit, quo sic no-  
 strorum malorum curationem continua-  
 ret. Non videtur tibi hæc esse amorosa pro-  
 uidentia? Neque hic tamen substitit eius  
 Charitas. Alij namque Medici, siue homi-  
 nem sanitati restituant, siue non, remune-  
 rari volunt: non autem ægro præmia vel  
 coronam largiuntur: Solus I E S V S est, *qui  
 sanat omnes infirmitates tuas, & qui coronat te in  
 misericordia, & miserationibus.* O charitatem  
 inauditam. Liquidò hinc patet Seruator  
 mi, te esse Medicum cælestem, atque hanc  
 medendi rationem, non in terra pertina-  
 ci studio inuestigasse, aut ab hominibus di-  
 didisse. O sancte Tobia, quanta fuit obliga-  
 tio, qua te Angelo Raphaëli, qui te à cæci-  
 tate liberauerat, deuinctum esse censuisti?  
 non ignoro quod dimidiam omnium bo-  
 norum, qua: filius tuus secum attulerat,  
 partem ei obtuleris. Quanta ergo erit obli-  
 gatio nostra, qua Domino Angelorum  
 obstricti sumus, qui sub accidētibus panis,  
*liberat nos ab omnibus infirmitatibus nostris?*  
 Quid dignum offeremus tanto benefacto-  
 ri?

DESAC. EYCHARISTIAE. 119

ri? Caterum ô Domine, quid mihi prodest,  
quod Sacramentum hoc medendi virtutē  
habeat, si mihi desit illa dispositio, quæ ad  
hoc, vt ab illo medelam consequar, exigitur?  
Instrue me ô bone Centurio, quibus  
potissimum medijs, filio tuo sanitatem à  
Christo impetraisti? Quæ fuit dispositio tua?  
Noui quod dixeris: *Domine non sum dignus, vt  
intres sub tectum meum sed tantum dic verbo, &  
sanabitur puer meus.* Quæ verba tantoperè  
placuerunt Ecclesiæ, vt illis in administrā-  
do pretioso hoc Sacramento vti consue-  
uerit. Video adhæc, duas insignes in eis-  
dem verbis virtutes potissimum elucere;  
Humilitatem videlicet, & Fidem, quæ sunt  
fundamenta nostræ salutis. Ego etiam  
Domine, Cēturionis huius vestigijs inhæ-  
rens, ex animo fateor & agnosco, me in-  
dignum esse, cuius tu pauperulum do-  
micilium ingrediaris: credo præterea  
te minimo etiam verbo ab  
omnibus malis meis  
grauissimis, me  
liberare  
posse.

ORA.

## ORATIO.

**P**issime IESU, vnicum malorum nostrorum remedium, quandoquidem de caelis descendisti, vt vulnera nostra curares: te oro per illam charitatem, quae te id facere compulit, perq̄, illam compassionem, qua nostri misericordia motus es: largire mihi viuam Fidem, & profundam humilitatem: vt per hasce virtutes à te obtineam corporis sanitatem, & animae sanctitatem. Amen.

## MIRACVLVM.

**R**efert Surius 22. Aprilis de S. Theodoro Episcopo Ancyrano, cum quadam die sacrosanctam Eucharistiam cuidam puero muto ministraret, illumque iuxta morem ceterorum non audisset respondentem Amen, & mutum esse ignoraret, dixisse ad puerum; Dic Amen. Qui statim, (virtute suscepti Sacramenti lingua soluta & facultate loquendi recepta) non modo clara voce pronuntiauit Amen, sed etiam perse ceteros omnes animi sui conceptus eloqui cepit. Pater pueri qui praesens aderat,

rat, cum audiret filium loquentem, præ gaudio exclamavit, Miraculum. Miraculū. Fuit tum ibi Diaconus quidam nomine Domitianus, qui incredulus, verum esse miraculum sibi persuadere non poterat. Sed ille, Deo virtutem suam manifestius declarante, statim humi velut exanimis, grauiissimis oppressus doloribus concidit. Quamobrem Clerici quidam accurrentes, eum trementem leuauerunt, quidque illi contigisset, percunctati sunt. Quibus ille respondit. Cum puer ille pronuntiaret Amen, & pater exclamaret, quod soluta esset lingua eius, ego non credebam id esse verū, sed fictum gloriæ causa existimabam: & vidi quasi flammam ignis ex ore pueri contra me egredientem, quæ mihi horum dolorum causa extitit.

Accessit deinde ad S. Theodorum, atque ab eo poposcit, vt pro se Deo v m obsecraret: qui eum benignè redarguens, hæc ei propter incredulitatem suam euenisse affirmavit. Quam & ille confessus, accepta ab eo benedictione, ab horrore ac metu liberatus est, atque deinceps cautius vixit.

## DOCUMENTVM.

**A**spice fili, quomodo mutus hic sacramentum corporis Domini Sacramentum, cum fide atque humilitate suscipiens, lingua usum recuperavit: Dico-  
corus verò incredulus propter superbiam suam, à qua proficiscitur obstinatio illa, in non credendo ea, quae credenda sunt, à DEO percussus fuit. Sis igitur humilis & constans in fide, si vis ea quae à DEO postulas, consequi.

Orabis pro infirmis, & maximè pro illis, qui in Nosocomijs degunt, vt DEVS illis patientiam, & seruientibus charitatem ac diligentiam tribuat.

## EXERCITIUM XIX.

*Sacramentum hoc malis mortem,  
& bonis vitam adferre,*

## PVNCTA MEDITATIONIS.

**I.** CONTEMPLARE charissime frater, quomodo, cum in salutifero hoc Sacramento, verè contineatur Mundi Saluator, non posse non (quàm ex ipso est) adferre